

homines dicere, quænam aut quorum sint illæ
translationes approbatæ, ut aiunt, ab Eccle-
sia, neq; quām Ecclesiam uocent cuius tanta au-
toritas esse debeat. Quod si intellectum no-
strum, si sententias, si iudicium seruire obnoxie
necessæ est, ullorum hominum in terris defini-
tioni, autoritatïue, dicam etiam consensui, quid
opus est liberali educatione, quid studijs litera-
rum atq; artium bonarum, quid eruditione do-
ctrinæ? Claudamus oculos mentis nostræ. creda-
mus esse hoc ambulare simpliciter (quam uiam
esse omnium opt. uolunt) nescire unde progres-
sus sis & quò tendas. Hoc illi nimirum egregij
defensores Ecclesiæ uolunt, hoc agunt, hoc mo-
liuntur. Lucem ueritatis propriam emicare animad-
uertunt, & detegere atq; conspicuam reddere
multorum ignorationes, incogitantiam, negli-
gentiam, errorem, etiam stultitiam, temerita-
tem, improbitatem, fraudulentiam, iniurias, de-
niq; impietatem & diuinarum humanarumq; re-
rum confusionem. Non possunt aliter barbariæ
& superstitioni consulere quām tenebras offun-
dendo ueritati & obuelando oculos hominum.
Voant illa paulò superioribus temporibus u-
surpata simplicia. Voant studiorum bonorum
cultum, curiositatem. Hæc ipsa quæ benignitas
misericordis Dei nostro sœculo contulit ad aſſe
quendam ueritatem in religione & communi ui-
ta, cognitionem linguarum ad ueterum scriptâ
cogno